

mouendas esse, sed ineptas; errare eos, qui duplarem historiae finem constituant, delectationem et utilitatem, quum in sola cernatur utilitate, e vero solo oriunda, etiamsi bene res se habeat, si delectatio etiam adsit (c. 9.); ineptas fictiones, quum alienae sint, ne iucundas quidem esse, (c. 10 et 11. — *χρῆσιν γίνεται*) nec omnibus iucundas, sed laudatis solis (c. 11.); laudatos vero etiam ipsos fictis laudibus saepe offendit, et historicum, qui eas admittat, aequalibus se et posteris suspectum reddere (c. 13.); conciliandum denique esse dulce cum vero (c. 14.). Hac dissertatione absoluta, affert exempla historicorum ridiculorum, quos deridet magis quam refutat; hominem nimirum, res poeticas affectantem, et aperte partium studiosum (c. 14.); parum idoneum Thucydidis imitatorem (c. 15.); hominem, artis scribendi omnino imperitum, vili operi titulum sonorum inscribentem, dialectos denique miscentem (c. 16.); philosophum lepidum (c. 17.); Herodoti imitatorem frigidum (c. 18.); scriptorem superuacaneis rerum descriptionibus inhaerentem (c. 19. 20 — *τεστιών*), in quo etiam notat inepta mendacia (c. 20. fin.); alium, dialecto attica inepte utentem, et mendacem (c. 21.); auctorem, qui partim poeticas, partim sordidas voces inculcauerat (c. 22.). Ridet vitia in prooemiis (c. 23.); affert errata historicorum temeraria in locorum descriptionibus et situ (c. 24.); castigat alium, qui de morte Seueriani inepta fixerat (c. 25.), eidemque orationem funebrem ex ridicule Thucydidis imitatione, haberi curauerat (c. 26.). Monet praeterea, memoratu digna negligi, parva adferri (c. 27 et 28.); fuisse, qui se *αὐτοπτήν* iactaret, et tamen inepte peccaret (c. 29.); vituperat nimiam breuitatem (c. 30.) et hominem, qui futura etiam narrare sustinuit (c. 31.); inscriptiones denique quaesitas (c. 32.).

Absolutis hisce, et transitu (c. 33.) parato Lucianus boni historici imaginem adumbrare incipit; et primo quidem monet, historicum prudentia ciuili, et eloquendi dexteritate, ornatum esse debere; quae virtu-